

DISSERTATIO SOLEMNIS MEDICA

DE

INTESTINIS
SE INTVS SVSCIPIENTIBVS
ET RARISSIMA HVIVS MORBI
CONGENITI OBSERVATIONE

QVAM

ILLVSTRIS AC GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
CONSENSV

PRAESIDE

GODOFREDO CHRISTOPHORO
BEIREIS

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE

SERENISSIMI BRVNOVICENSIVM AC LVNEBV RGENSIVM
DVCIS A CONSILIIIS AVLICIS MEDICINAE THEORETICAE
MATERIAE MEDICAE CHEMIAE CHIRV R G I A E PHILOSOPHIAE
ET HISTORIAE NATV R A L I S PROFESSORE

PVBLICO ORDINARIO

ORDINIS MEDICORVM H. T. DECANO
ET PROCANCELLARIO

PRO GRADV DOCTORIS

RITE IMPETRANDO

DIE XXX DECEMBRIS C I O I O C C L X V I I I I

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

ERDMANN GOTTWERTH
NEVMEISTER

HAMBVRGENSIS.

HELMSTADII

EX TYPÖGRAPHEO ACAD. VIDVAE SCHNORRIAE.

RESERVATIO: GOLDMANN'S MEDICA

INSTITUTUS
SE INIVS SVS CIPINIVS
ET RAALISSIMA HVIVS MORBI
COMPLETI OPERATIO


IPPOLITO AN ORTOLANO MEDICORVM ORDINE
GOLDMANN

CHRISTOPHORO
DE RIVIS


OPUSCULUM DE MEDICINA DOCTORIS
IPOLITO AN ORTOLANO
DE RIVIS
DE RIVIS
DE RIVIS

IN VENETIA
APUD IANETIUM


MDCCCLXXII



DISSERTATIO SOLEMNIS MEDICA
DE
INTESTINIS
SE INTRORSVM SVSCIPIENTIBVS
ET RARISSIMA HVIVS MORBI COGNATI
OBSERVATIONE.



§. I.

uamuis omnia morborum genera,
quibus mortales affligi solent, soler-
tium et ingeniosorum medicorum
inuestigatione digna sint, in primis tamen il-
la merentur, vt a viris examinis iudicique
perpensi exactius euoluantur et sollicitiores
naturae rerum inquisitores adcuratori men-
tis

tis trutina eorum naturam examinarent, quorum sedes abstrusissima est, quaeque in prima sua origine, si modo indoles morbi cognita fuisset, facillime sanari potuissent, atque vero iam defixis radicibus omnem respiciunt medelam.

§. II.

Nullius sane morbi natura et sedes magis latet, et vel sollertissimi medici perspicaciam ingeniique aciem effugit, quam si intestina in semet ingrediuntur. Est vero hic morbus susceptio partis intestinorum in proxime vicinam liberum adsumptorum ciborum potuumque transitum per horum viscerum tubum impediens.

§. III.

Eo profundius delitescit huius morbi conditio, eoque abstrusior est, quo difficilius ab aliis aegrotationibus intestinorum dignosci potest. Iisdem enim fere comitatur symptomatibus, quae in scirrho glandularum Brunnerianarum ac Peyerianarum, in excrementorum scybalis duris, lumbricis conglobatis, calculis, vel aliis rebus alimentorum
cana-

canalem infarciuntibus, in compressione, coarctatione, concretionem et contorsione intestinorum observantur.

§. III.

Receptio haec intestinorum est vel perfecta, ubi scilicet integer circulus seu tota fistula contractior una cum mesenterio in ampliore introgressa est, vel imperfecta, si pars tantum a mesenterio remotior parum intrauit.

§. V.

Porro susceptio est vel simplex, si unica tantum intestinorum pars in vicinam impulsam est, vel composita, si hoc in pluribus illius locis factum est. Multiplicis receptionis exemplum notatione dignissimum atque rarissimum refert Iacobus Augustinus Hunerwolfius * de puero septenni, sartoris Arnstadensis filio, in cuius intestino ileo septies distinctis in locis ingressionem partis superioris intestini in partem illius inferiorem observavit.

* Vid. Ephemerid. Acad. Nat. Curios. Decur. II. Ann. VIII. pag. LXIV.

§. VI.

Vtraque insinuatō fieri potest, vel sursum versus, vbi contracta pars adscendit, vel deorsum, si pars contracta descendit in ampliorem. Cuncta haec tum crassorum, tum tenuium intestinorum functiones laedere possunt, raro tamen in illis, plerumque in his reperiuntur.

§. VII.

Adesse hunc morbum sequentia testantur signa diagnostica. Statim ac pars contracta vicinam distentam sibi continuam subiit, in hac intestinorum parte tensionem quandam aegri sentiunt cum leni dolore coniunctam, qui sensim sensimque adaugetur, et semper in morbi sede fixus haeret. Haec tensio eiusmodi esse solet, ac si pondus intestinis in ea parte adfixum esset, quod illam deorsum traheret. Tensionis huius sensus praesertim aliquot horis post prandium et coenam exacerbatur. Perpetua fere adest nausea, ob motum peristalticum intestinorum peruersum ad partem adfectam tantum abeuntem et inde retrogredien-

dientem. Hoc cibi fastidium sensim sine sensu in nifum vomendi et subinde in ipsum vomitum adsumtorum ciborum mutatur. Si morbi sedes, vti plerumque fit, in intestino ileo est, chylus cum cibis parum mutatis et inconfectis reiicitur, vbi vero crassa intestina hoc morbo correpta sunt, faeces stercoreibus similes vomitionibus redduntur. Aluus sub initium morbi siccior est, deinde ita adstringitur et supprimitur, vt nec excrementa, nec flatus, qui eructantur, dimitti queant, sed parum mucii in glandulis Peyerianis secreti non nunquam descendat et eiciatur. Abdomen tumore distenditur in primis in regione vmbilici, ab interclusione spirituum intestina inflantium. Accedit ad haec anxietas praecordiorum, arteriarum percussus durus et contractus, febris ardens, inflammatio intestinorum et delirium. Tandem luctificam hanc scenam claudere solent singultus, animi defectiones, sudores frigidi, mors.

§. VIII.

Causae hunc morbum efficientes sunt, vel extra corpus humanum, vel in ipso hominis corpore.

§. VIII.

§. VIII.

Caussae externae sunt vel impetus in corpus factus, vel compressio abdominis.

§. X.

Impactio fieri potest, vel per ictum corpori illatum, vel per prolapsionem, vel per saltum, vel alium ventris concussum.

§. XI.

Si corpus durum abdomini vehementer impingatur, (§. VIII.) vel istud pugnibus et pedibus contundatur, viscera imi ventris fluctuantia e sede sua parum dimouentur, ita, ut intestinorum pars hunc ictum prae aliis perpressa facile in alteram sibi vicinam intrudi possit.

§. XII.

Idem aliquando contingit, si homo magna vi prostrernitur, ac in primis si terrae procumbit pronus in ventrem. Hac enim vehementi collisione abdominis non solum ea mesenterii pars, cui intestina adhaerent, prorsum mouetur et relaxatur, verum etiam intestina introrsum pressa in proprium suum cauum

cauum vna cum mesenterii parte impelluntur. Eiusmodi prolapsionis effectus illa cognata intestinorum insinuatio esse videtur, quam in infante obseruavi et cuius descriptionem infra communicabo.

§. XIII.

Salto praecipiti (§. X.) totum corpus, praesertim vero intestina concutiuntur et partim deorsum pelluntur, partim musculos versus abdominis prouoluuntur. Quo ipso mesenterium protrahitur, et pars eius maxime extensa vna cum ilium parte ipsi adnexa in vicinum et ampliorem huius tubum illabi potest.

§. XIII.

Eosdem effectus edere non nunquam solent alia adlisionis genera, variique concussus, (§. X.) quorum praecipuus est equitatus. Si quis enim equo succussore et indomito vehitur, intestina ita commouentur et agitantur, vt in se inuicem impelli possint.

§. XV.

Pressio abdominis (§. X.) oritur, vel a
 B pon-

pondere ipsi incumbente, vel a vestimentis nimis arctis, et in primis a strophis seu thoracibus e laminis corneis maxillae superioris balaenarum confectis, quibus feminae formae auidiores pectus vincire et ventrem constringere solent.

§. XVI.

Quodsi pondus ingens abdomini imponatur, vel magna vi in ipsum irruat, ibique per longum tempus relinquatur, infimi ventris cauum imminuitur et viscera in hoc spatio exiguo contenta se mutuo ita comprimunt, vt saepius pars intestinorum in aliam intrudi queat.

§. XVII.

Si quid est, quod ad huius morbi generationem plurimum conferre possit, certe id est capitium illud rigidum, quo feminae pectus et abdomen coangustant. Virgines enim thoracatae immoderata hac coarctatione in respiratione liberam costarum eleuationem et diaphragmatis adscensionem impediunt. Duplici itaque ratione ilium receptaculum diminuitur et alimentorum canalis

his nimium coercitus in se ipsum descendere nititur.

§. XVIII.

Si causae huius morbi in ipso hominis corpore haerent, (§. VIII.) deprehendi possunt vel in actione, vel in situ et flexura quadam corporis, vel in visceribus abdominis.

§. XVIII.

Inter actiones hominis, quae a mentis arbitrio dependent, in primis vehementior alium deiiciendi et foetum edendi nixus hunc morbum producere potest. Dum enim post fortem inspirationem spiritus attractus diutius retinetur, septum transversum magna vi descendit et intestina comprimit. Eandem compressionem augent muscoli abdominis valide se contrahentes. Viscerum igitur tubi undique violenter in angustias compulsi in cauum suum subinde irruunt.

§. XX.

Vario quidem corporis positu variisque flexibus venter angustatur; nihil tamen mutuum intestinorum ingressionem magis accelerare

rare solet, quam prona atque repentina corporis flexio. Quippe qua intestina in spatium nimis angustum subito coguntur, nec, ut in aliis abdominis contusionibus et compressionibus sursum, vel deorsum, vel ad latera secedere possunt. Digestionis itaque tubus angustissime compressus in se ipsum ut intrudatur necesse est. Partes intestinorum debiliores pestifera hac ventris compressione faepius in semet illapsae, cessante corporis flexu, tandem sese euoluere nequeunt, sed remanent et cum vagina sua concresecunt. Ab huiusmodi subita et frequenti corporis inflexione atque compressione, ob dolorem a calculo vesicae perpeffum, singularis ille morbus, in quo intestinum ileum septies in partem vicinam ingressum erat, et cuius supra (§. V.) mentionem feci, originem suam traxit secundum sententiam celeberrimi medici, qui per raram hanc obseruationem publicauit.

§. XXI.

Si causa morbi in visceribus abdominis latet (§. XVIII.), ea quaerenda est, vel in reliquis ventris visceribus, vel in ipsis intestinis.

§. XXII.

§. XXII.

Reliqua abdominis viscera hunc morbum importare possunt intestinis, vel tumore vel spasmo in ipsis orto.

§. XXIII.

Tumores horum viscerum praecipui, sunt vel steatomata, vel tumores hydropici.

§. XXIII.

Steatomata viscerum et in primis mesenterii tantum interdum capiunt incrementum, vt totum fere abdomen repleant et intestina in minimum spatium coerceant, ideoque huius morbi fundamenta ponant.

§. XXV.

Idem fieri solet in scirrhis viscerum liquores secernentium et corporis humani succos praeparantium, qui plerumque in magnitudinem excrescunt enormem. Nullum autem ventris viscus frequentius obstruitur et scirrho corripitur, quam glandulae mesaricae infantum, quae saepissime supra mo-

dum intumescunt, abdomen infantum nimis distendunt, iliumque compressione ea ad mutuam hanc receptionem procliuia reddunt.

§. XXVI.

Tumores hydropici (§. XXIII.), praesertim mesenterium et ouulorum receptaculum, quod ouarium vocant, occupare solent, et non solum haec viscera, sed totam quoque aluum ad insolitam et incredibilem molem subinde expandunt, et intestina plerumque in alterum latus seu hypochondrium pressant, et in angustissimum locum ita contrudunt, vt in se penetrare cogantur. Vidit Illustris Praeses, Praeceptor meus optimus, ante aliquot annos Brunopoli feminam abdomine infra genua propendente praeditam, in cuius mesenterio post mortem Illustris Waglerus, SERENISSIMI BRVNOVICENSIVM AC LVNEBURGENSIVM DVCIS Archiater inuenit os costae simile, cui adnexus erat faccus crassus, cuius superficies interna pilis et materia seuo haud absimili obsita erat, et in quo centum et quod excurrit librae liquoris
con.

continebantur. Ingens hic sacculus intestina in laeuum abdominis latus impresserat et mirum in modum coarctauerat. Plures eiusmodi hydropes in medicorum scriptis exstant. † Quodsi autem talis sacculus hydropticus peritonaeo adnatus per totum abdominis cauum aequaliter expanditur, eiusmodi intestinorum compressio haud pertimescenda est, praesertim in aegris, qui sunt laxiori corporis habitu, et quorum muscoli abdominis facilius distendi possunt. Georgius Abrahamus Merclinius communicauit cum orbe litterato effigiem feminae eadem tabella expressam, qua pictum est intestinum ileum, quod septies in se ipsum descendit, et de quo supra (§. V.) verba feci. Huius feminae venter nimis dilatatus erat, neque eo minus in hoc corporis statu felici partu prolem enixa est sanam. Abdomen illius, dum viueret, ad imos pedes dependens amplissimum inclusit sacculum, peritonaeo leuiter adnexum, qui

† Conf. Ephem. Acad. Nat. Cur. Dec. II. Ann. I. obs. CLXXXIII. Lieutaud Historia anatomico-medica Tom. I. et II. Roedereri Progr. de hydrope ouarii, cet.

qui sterno, renibus, vertebris lumborum ossibusque pubis per membranas tenacius adhaesit, e quo discisso librae ducentae sexaginta quatuor aquae subcruentae ac putridae effluerunt; intestina vero, quae spurcus iste humor adluere non poterat, illaesa fuerunt.

§. XXVII.

Reliqua abdominis viscera spasmo laborantia, (§. XXII.) praecipue illa, quibus eadem neruorum paria ramos impertiuntur, quae ad intestina neruos mittunt, ad longissimum hunc atque contortum tubum spasticas has contractiones facillime propagare solent. Sunt haec viscera in feminis uterus spasmis adfectus, et in utroque sexu vesica calculi asperitate, vel lotii acrimonia ad spasticum motum irritata. In primis vero conuulsiones, si vel medicamentis emeticis, vel venenis vomitus concitetur, e ventriculo transeunt in digestionis canalem ipsi conexum.

§. XXVIII.

Si morbi causa in ipsis intestinis delite-
scit,

scit, vel in horum cauo, vel in membranis eorum latitat.

§. XXVIII.

Causae morbi in cauo tubi intestino-
rum contentae, esse possunt, vel excremen-
ta, vel flatus, vel vermes, vel calculi, vel
alia corpora deuorata.

§. XXX.

Excrementa nimis dura atque exsiccata
abdominis canalem imperuium reddentia et
obpilantia, si ad illius membranas tenacissi-
me adhaereant, et a quacunque re fortiori
cum impetu accedente valide premantur; in-
testini partem, in qua infixae ac immobilia
persistunt, in partem proximam relaxatam
atque flatibus distentam protrudunt.

§. XXXI.

Aer e cibis digestis egressus, maiori co-
pia in tubo elastico collectus, corporisque
humani calore nimium dispanfus, si certis
locis includatur, nec venter crepitus redde-
re, nec ventriculus se ructibus leuare valeat,
ilei partem nimis dilatatae vicinae non di-

C

stentae

stentae superinducet, ideoque huius morbi
causam suppeditabit.

§. XXXII.

Vermium in intestinis nidulantium qua-
tuor sunt genera. Ascarides, quae intesti-
na crassa, atque in primis rectum, vexare so-
lent, itemque trichurides, quarum plures
Illustris PRAESES in spiritu vini adseruat,
quae tenuiores et in altera corporis extremi-
tate paullo obtusiores, in altera vero subtilissi-
mo filo similes sunt. Plerumque in spiram
se colligunt, et in intellino caeco hominum
morbo mucoso implicitorum reperiuntur.
Vtrumque vermium genus vel copia sua,
vel irritatione intestinorum, vt haec se com-
plexim suscipiant, rarissime tantum efficiet.
Taenia non tam obstructione, quam spasmo-
rum potius concitatione, huius morbi fomi-
tem praebebit. Vtraque vero hac ratione lum-
brici in tenuibus intestinis hospitantes ho-
rum partem superiorem in inferiorem quam
saepissime propellere solent. Haud raro enim
lumbrici in densa glomera sibi inuicem im-
pliciti ciborum tubum ita obturant, vt ne
ven-

ventris quidem crepiti'us exitus pateat. Quodsi igitur inferior ilei pars aere incluso et calore rarefacto distendatur, ac vermes conglomerati ab alimentorum reliquiis et motu peristaltico fortiori vrgeantur; lumbricorum hospitium in partem vicinam descendere poterit. Multiplex ille ilei in semet ipsum descensus, quem Hunerwolfius obseruauit, (§. V.) procul dubio ab hac caussa simul profectus esse videtur, quia Vir Celebrissimus in intestino cadaueris dissecti lumbricos implicatos inuenit.

§. XXXIII.

Nullum fere est corporis humani viscus, in quo non olim calculi diuersi ponderis reperti sint. Interdum lapides instar nucis myristicae ex aluo excernuntur, qui plerumque e vesicula fellea prouenerunt, et e bile glutinosiore, quae longiori mora induruit et in lapides abiit, originem suam traxere. Hi lapides diutius, vel ob motum peristalticum languidiorem, vel ob alias caussas, in intestinis retenti, indies magis magisque noua crusta obducuntur, et in tantam saepius cres-

cunt magnitudinem, vt alimentorum fistulam obpilare, atque vna cum parte obstructa in vicinam illabi possint.

§. XXXIII.

Idem non nunquam euenire solet, si res durae et ponderosiores, verbi gratia globus plumbeus, vel numus deglutiuntur. Eiusmodi enim corpora durissima in intestina delata pondere suo tubi partem, in qua obhaerent, non solum deorsum trahunt atque relaxant; sed illam quoque fortiori vi tandem propulsa secum in inferiorem expansi caui locum abripiunt.

§. XXXV.

Si morbi causa in ipsis intestinorum membranis haeret, ea est vel in omnibus membranis simul, vel in vna et altera earum.

§. XXXVI.

Omnes ilium membranae hunc morbum procreantes, in certis locis vel compage nimis stricta et rigida, vel nimis laxa laborant.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Vbi cuiusuis membranae fibrae in quadam intestinorum parte nimia rigiditate fringuntur, particulaeque minimae, vel propter nutritus defectum, vel ob liquoris humectantis inopiam, arctius cohaerent, vel ob frequentioremedicamentorum resinorum et exsiccantium, in primis vero aloes usum corrugantur; interaneorum canalibus ibi angustatur atque in minorem circulum constringitur, faecumque arescentium motu peristaltico propulsarum actione in tubum proximum, flatibus turgidum, intrusus sensim sensimque profundius penetrat. Constrictionis eiusmodi exemplum reperiit Humerwolfius in intestino recto chartarum confectoris Arnstadenfis, qui ipse duritiae alui medens, pilulis ex aloe paratis saepissime usus erat. Cuius intestini concreti iconem Fig. XX. adiecit.

§. XXXVIII.

Laxitas nimia eiusdem canalibus partem
C 3 ali.

* Vid. Ephemer. Acad. Nat. Curios. Decur. II. Ann. VIII. pag. CCVIII.

aliquam occupans efficiet, vt haec vel viciniorem complexim in se suscipiat, vel in eandem pedetentim se insinuet. Id quod eo facilius fiet, quo magis simul mesenterium relaxatum est.

§. XXXVIII.

Si autem huius morbi causa non in omnibus, sed in quibusdam tantum membranis flatuum ductum formantibus consistet, illa est, vel in tunica villosa, vel in neruosa, vel in muscolosa, vel in membranacea.

§. XXXX.

Tunica villosa nimis laxè subiacenti cohaerens, facillime et pondere suo, et pressione cibi reliquiarum exsuccarum, quae in cauo continentur, in hoc demittitur, et tunicas connexas secum deducit. Hoc vitium interdum nascitur, vbi res vi emolliente praedita in loco quodam intestinorum, vel ob eorum flexuram nimiam, vel ob alias causas, quas supra recensui, diutius commoratur.

§. XXXXI.

Tunica neruosa, praeter ipsos neruos, multas

multas glandulas et vasa, laticem rubrum vehentia, continet, quae variis morbis obnoxia sunt, quorum non nulli efficere possunt, vt intestina se intus complectantur.

§. XXXXII.

Glandulae intestinorum saepius obstruuntur et in scirrhos abeunt minores. Hoc illis in primis accidit, quibus humores sunt glutinosiores, et qui frequentissime cibis vtuntur aluum adstringentibus et exsiccantibus. Si itaque glandulae Brunnerianae et Peyserianae in canali hoc membranaceo intus intumuerunt, et praecipue in minus lata eius parte totam peripheriam internam, ad instar ferti, obsident, faecumque siccescentium cylindri liberum iter intercipiunt; hic circum durio rem et prominentem facili negotio in tubi inferiorem partem deprimet.

§. XXXXIII.

Vascula illa in intestinis distributa et sanguinem continentia subinde, vt in reliquis corporis humani partibus, intumescunt, et in aneurismata varicesque mutantur, quae
fistulae

fistulae cauum diminuunt, et excrementa figurata ac solidiora remorantur. Si igitur fortior vis impellens accedat, siue ea sit motus peristaltici acceleratio ac intensio, siue aeris interclusione intestinorumque renixu crescens vis elastica, siue noua scybalorum collectio et accumulatio; annulus hic vasculorum introrsum tumentium sensim in cauam intestini diductionem detrudetur.

§. XXXXIII.

Nerui ipsi morbi fomitem alere possunt, si ad spasmos procliuiiores sunt. Proclitas haec praesertim dependet a vi, qua irritati nerui facilius musculorum, in quibus disperguntur, contractionem perficiunt.

§. XXXXV.

Proclitatis illius causa quaerenda est, vel in neruorum debilitate, vel in liquoris neruini in neruos influentis inaequali quantitate motusque celeritate.

§. XXXXVI.

Debilitas neruorum est vel hereditaria et a parentibus accepta, vel alia ratione acquisita.

§. XXXXVII.

§. XXXXVII.

Nondum quidem cognitum atque perspectum habemus, ac fortasse nunquam constabit, sed semper in occulto latebit, quâ ratione parentum morbi per successiones posteris tradantur; nemo tamen medicorum recentiorum propagationem ipsam in dubium reuocat. Quotidiana enim nos docet experientia, valetudinis vitia, quibus nerui infestantur, plerumque in liberos atque nepotes transferri. Pater morbo comitiali adfectus liberos procreat, qui nunquam fere non eodem valetudinis genere tentantur, et qui morbo articulari laborant, saepissime hanc aegrotationem a patre traxerunt, qui eiusdem morbi doloribus cruciatur. Sic et corporis, in primis vero neruorum imbecillitas a parentibus posteritati propagatur, et tantum non semper insanabilis vinculis animalibus infertur labes.

§. XXXXVIII.

Variis aliis modis debilitatio neruis induci potest. (§. XXXXVI.) Nam infirmitas sensuum inotusque instrumentis importatur,

D

vel

vel diuturna inedia, vel vitiis diaetae et im-
temperata vitae ratione, vel medicamentis,
vel venenis, vel morbo praegresso.

§. XXXXVIII.

Diuturna fame omnium humorum, id-
eoque liquoris neruini, a quò praecipuum
neruorum robur proficiscitur, oritur ino-
pia. Non igitur mirum est, diutius protra-
cta cibi potusque abstinentia et egestate, vi-
res exhauriri neruisque debilitatem contrahi
posse.

§. L.

Innumeri sunt errores, quibus in in-
temperato viuendi modo commissis, et
omnes corporis humani, et praesertim inte-
stinorum nerui debilitari possunt, quorum
praecipuos tantum, breuitati studens, in me-
dium promam.

§. LI.

Primum si quis magnam ciborum opti-
morum copiam sibi ingerat, quam digerere
non potest, non solum e chylo et sangui-
ne inde orto glutinosiore, liquor neruinus,
bo-

bonae indolis fecerni nequit; verum etiam aër ex inconfectis ciborum reliquiis collectus et excrementorum canalem nimium distendens, eiusdem nervos debiles reddet. Debilitas autem maior euaderet, si quis cibis utatur ad concoquendum difficilioribus, et multo aëre refertis, quibus simul emolliendi, vel ventrem supprimendi vis inest. Deinde, qui potum vel nimis frigidum, vel calidum, in primis e nucleis fructus Arabici tostis coctum et cum lacte remixtum, vel merum, aliaue potulentorum inebriantium genera saepius in se ingurgitant, intestinorum nervos valde debilitant. Tum acerbo frigore abdomini admissio, nervi tuborum interaneorum imbecilles fiunt. Frigus enim, uti Hippocrates iam olim observavit, * nervis inimicum est. Qui denique turpium voluptatum illecebris caeco se impetu dant, et saepissime rebus venereis operantur, totius corporis, praecipue vero viscerum membranaceorum et fluctuantium nervos maiorem in modum labefactant.

D. 2

§. LII.

* Conf. Aphorism. XVIII. Sect. V. et libr. περι ύγρων
χηστios p. 425. edit. FOESII Gen. clbCLVII.

§. LII.

Opium, et ex illo, aliisque rebus parata remedia narcotica, itemque medicamenta aluum vehementer purgantia, (§. XXXXVIII.) si frequentius adhibeantur, longissimum atque conuolutum ciborum canalem eiusque nervos debiles faciunt. Resina scammonii, ialappae, aloes, colocynthidis, gutta gamba, seu gummi Peruvianum, elaterium, et quae sunt alia eiusmodi medicamenta nimis valentia, interiori tunicae alimentorum tubi tenacissime adhaerent, perpetuos ei stimulos admovent, eam vellicant, et in tunica nervosa ac muscosa vehementissimos spasmos concitant, qui frequentissima huius morbi causa existunt. Dum enim nervi et muscoli intestinorum, quae prae omnibus aliis corporis humani visceribus, si a corde discessero, maxima gaudent irritabilitate, continue et acriter stimulantur; canalis huius cauum coangustant et tubum reddunt breviorum, quo fit, ut pars maxime constricta vel in vicinam ampliore introrumpat, vel haec illi superinducatur.

§. LIII.

§. LIII.

Eadem ratione agunt venena rodentia, in primis arsenicum. Nam illi, qui haustum veneni poculum vomitu reiecerunt, et e mortis periculo euaserunt, plerumque per totam vitam summa ventriculi et intestinorum debilitate laborare solent.

§. LIIII.

Omnes quidem morbi fontici et corpus emaciantes (§. XXXXVIII.) digestionis viscera eneruant; nulla tamen aegrotationum intestinorum robur ac vim magis infringunt, quam eorum inflammationes, graues ac diuturnae alui fluxiones, dolores colici, et affectus hypochondriaci hysterique.

§. LV.

Nerui ad spasmos producendos procliuiores redduntur, (§. XXXXV.) si maior liquoris neruini modus, vel eadem copia, sed maiori celeritate in vno neruo mouetur et musculo importatur, quam in neruo musculi antagonistae. Quum enim omnis corporum actio dimitiri possit, vel numero partium, ex quibus cor-

pus constat, quem massam vocant, vel celeritate, qua mouetur, vel in motum nititur; neruorum quoque actionem determinare possumus humoris neruini quantitate vel celeritate.

§. LVI.

Maior copia succi subtilissimi in neruo esse potest, si eius canalis paulo maiorem habet diametrum, quam alter vicinus. Coarctari potest nerui tubulus, vel compressione, vel constrictione, vel exsiccatione.

§. LVII.

Nerus comprimitur, vel in suo origine, vel e cerebro et medulla spinali egressus. Quibus modis haecce compressio fieri possit, non libet hic repetere, quum PRAESES hoc in dissertatione sua de paralyfi grauissima femorum crurumque sanata; §. XXXXI ad §. XXXXV. exposuit.

§. LVIII.

Constringi possunt nerui intestinorum, vel frigore maximo, vel rebus valde adstringentibus. Dum enim acerbum frigus abdomini

mini admittitur, vel potus gelidissimus ingurgitatur, vel medicamenta nimia vi adstringendi praedita adhibentur; neruorum fistulae in intestinis dispersae ita contrahuntur, vt canalıs alimentorum musculi spasmı corripiantur.

§. LVIII.

Omnes corporis humani fibrae exsiccatione in minus spatium rediguntur. Si igitur nerui ob lymphae nutrientis et humectantis penuriam exarescunt; eorum tubuli coangustantur, ideoque minorem liquoris neruini modum recipiunt, et alterius neruuli sanioris, nec subarescentis, actioni reniti nequit, vt itaque spasmı oriantur necesse est.

§. LX.

Caussa cur lymphae neruina in cauo neruorum maiori celeritate moueatur, (§. LV.) vel in origine, vel in fine eorum quaerenda est.

§. LXI.

In neruorum principio ipsius animi motus neruorum liquidum celerrima permotio-
ne

ne agitare, ac per nervi fistulam in muscolum impellere possunt. Et nisi in huius antagonistam humor nervorum eadem velocitate protrudatur, illius musculi fortior fiet contractio. Haec maior fluidi nervini pernicitas spasmos vehementissimos concitare solet, membra et viscera eorum saepissime concutientes, qui frequentioribus animi perturbationibus, ac in primis ira atque terrore, corripiuntur.

§. LXII.

Si causa motus celerioris, quo liquor nervinus in musculos influit, in nervorum fine, seu in tenuissimis eorum fistulis in intestinis distributis haeret; (§. LX.) ea deriuanda est a fortiori sensu in illis excitato. Lex enim est naturae, qua omnem quinque mentis portis impressum sensum motus excipit, illi ratione fortitudinis aequalis. Hoc animadvertere possumus, si fulgur oculis, vel fragor ingens auribus immittitur. Nonne omnia corporis membra vehementer commouentur? Si pulvis liliorum conuallium, vel alia corpora fragrantia et acria spiritu adtracto
ner-

neruis olfactui destinatis admouentur, nonne sternutamentis totum corpus quatitur atque conuellitur. Vbi linguae nerui cibis, vel medicamentis pessime sapientibus nauseamque excitantibus adficiuntur; vomitum saepius ciere solent grauissimum. Si quis denique aculeis pungitur, vel aduritur, cunctos fere eius artus permoueri videmus. Quippe neruo, qui sensui inseruit, irritato, humor subtilissimus in cerebro secretus ad neruum motui dicatum adlicitur, et perniciosus in hunc impellitur, dum anima rem irritantem et sibi ingratam validissimis nisibus remouere studet. Quodsi igitur nerui intestinorum, vel a sale acriori stimulantur, vel a flatibus, aut a sanguine, aut alia re, nimium distenduntur, ideoque mens dolore adficitur, plerumque hunc spasmus sequi solet. Id quod experientia nos docet in doloribus colicis et in ro-
sione intestinorum a venenis adsumtis.

§. LXIII.

Quum itaque omnis spasmus relinquat atoniam, seu relaxationem partis adfectae; hac ipsa neruorum ac musculi debilitate no-

E

uis

uis neruorum distensionibus, siue spasmis ansa praebetur.

§. LXIII.

Vbi morbi causa in tunica musculoſa confedit, ea reperiunda est, vel in ipsis musculorum fibris, vel in vasis ipsum perreptantibus, vel in neruis illius.

§. LXV.

Fibrae musculoſae, vel sunt nimis rigidae, vel nimis laxae, ideoque motui rite perficiendo inhabiles, et muscoli antagonistae renixum sustinendo impares, spasmorumque genitrices.

§. LXVI.

Vasa ad fibrillas nutritum aduehentia et muscoli calorem conseruantia, vel nimiam copiam, vel nimis paruum modum laticis nutrientis continent.

§. LXVII.

Si vascula minima humoribus nimium distenta sunt, comprimere possunt neruulos vicinos, atque impedire, quo minus ad musculi fibras neruinus liquor aequali copia accedat.

celeritate accedere queat: ergo procliuitas ad spasmos in his musculorum fibris orietur.

§. LXVIII.

Quum ad musculorum actionem necessario requiratur, vt sanguis per arterias musculo infundatur; nimis paruus laticis rubri modus muscoli vim imminuere, atque ad spasmum producendum pronum reddere potest.

§. LXVIII.

Si morbi fomes in neruis tunicae musculosae reconditus est, illum eadem ratione, qua supra (§. XXXXIII seqq.) vfi sumus, inuestigare debemus.

§. LXX.

Vix tandem, ac ne vix quidem, morbi huius sedes in externa intestinorum tunica membranacea, eaque sola, vnquam delitescet.

§. LXXI.

Cunctas igitur causas, quibus intestina se introrsum suscipere possunt, per ordinem disposui, omnibusque vestigiis indagavi, ita

quidem, vt quiuis medicinam faciens, qui haec vestigia persequetur, facilius ac tutius ad occultas huius morbi latebras feratur. Vtinam sane eadem facilitate illi morbo praesentem medicinam, reperire possemus! Verum enim vero confiteri cogimur, nos euitando causas, supra a me accuratius determinatas, magis imminenti, quam iam exorto malo, remedium inuenire posse.

§. LXXII.

Omnibus morbi causis cognitis, haud difficile est, eiusmodi medicamenta, vel vitae rationem imperare, quibus grauissimi mali instans periculum auerti queat. Et enim si quis rationum membra, a me concinno ordine disposita, adtentius percurrat; facillime perspiciet, quid factu opus sit, et quaenam cuius causae opponere debeat remedia, quibus impediatur, quò minus morbus sanatu difficillimus oriatur. Quum temporis angustiis includar, ac festinatione prohibear, fusius vberiusque de hac materia disputare; faciliorem hanc inquisitionem non adtingam, sed paucis tantum
de

de periculosissimo huius morbi curatione differam.

§. LXXIII.

Quodsi igitur intestina se intus complexim susceperint, et medicus e signis supra §. VII. prolatis de hac re certior factus sit, ante omnia curare debet, vt pars intestinorum intus suscepta protinus euoluatur, ac noua eius susceptio impediatur.

§. LXXIII.

Ad partem intestinorum introrsum receptam euoluendam, plerique medicorum magnam copiam argenti viui, vel globulum plumbeum, glutire suadent. Nec eiusmodi medela sub morbi initium adhibita interdum salutari effectu destituitur, in primis, si intestina sursum versus in partem vicinam ingressa sunt. Pondere enim maximo horum corporum grauium pars adscensa, et illorum descensionem resistens, deprimetur et sic euoluetur. Attamen vbi intestini pars deorsum versus in inferiorem tubi membranacei partem suscepta est, tantum abest, vt his remediis morbus cedat, vt potius multo grauior

atque insanabilior reddatur. Namque pars descensa et coangustata, aëri ac liquidis excrementis adhuc peruia, a globo plumbeo obturatur, et magis magisque in canalem proximum intruditur. Hydrargyrum quidem angustiora loca penetrare valet, nec canalis in semet ingressi imminutum cauum obstruet; alio tamen modo nocebit. Si enim magnam mucii vel pinguium ciborum copiam in ventriculo et intestinis offendat, agitatione horum peristaltica fortiori ac diuturniori cum illis remistum, facilius a venulis intestinalium sorbetur sanguinique admiscetur, qui argentum viuum vel glandulis saliuam fecerentibus infundit, largumque saliuæ profluum excitat, vel minimos hydrargyri globulos in ossium cellulas, quin etiam in cerebrum infert, vbi collecti grauissima mala generare solent.

§. LXXV.

Praestat itaque primo morbi initio et statim, quum partem intestini in vicinam introisse coniectura iudicamus, medicina aluum soluente, siue lenius purgante vti, qualis est

est decoctum tamarindorum cremore tartari et aliquot guttulis naphthae vitrioli aut nitri mistum, vel sal catharticum. Eiusmodi enim medicamenta leni stimulo intestinorum motum peristalticum adaugent, quo fit, vt pars ingressa extricetur et excrementa ventrisque crepitus, qui morbum gratiores reddere solent, e corpore eliminantur. Naphtha potioni medicatae admista aëris collectionem impedit, atque si malum a spasmis originem traxit, simul his medetur. Haec medicamina aliquoties sumat aeger, et deinde vim salubrem rhabarbari experiatur. Non solum enim hocce remedium aluum liquat, sed perfecta quoque ventris motione, leni sua adstringente vi ventralem tubum roborat, qua virtute omnibus aliis aluum cientibus medicamentis praeualet.

§. LXXVI.

Euolutis hac ratione intestinis, caueamus, ne noua fiat eorum in semet susceptio. Omnes igitur morbi causae supra a me exquisitius determinatae ac perspicue expositae studiosissime euitandae, et intestina corroboran-

boranda sunt, in primis, si eorum fibrae nimis relaxatae praecipua morbi causa fuerunt. Amissum intestinorum robur optime restituit cortex Peruvianus et cascarillae, itemque radix gentianae rubrae, quaeque ex his parantur extracta, praesertim si iis naphtha nitri, quae est medicina ad spasmos compescendos praesentissima immisceatur.

§. LXXVII.

Sin autem pars intus suscepta profundius penetrauerit, et cum vagina sua iam coaluerit, nullum aliud restat valetudinis huius aduersae auxilium, quam audaci consilio ventrem cultro aperire, partem intestinorum nondum collapsam, sed flatibus dispanfam abscindere, musculisque abdominis ita adglutinare, ut per artificialem hunc anum, seu nouam excrementorum viam, stercus e corpore eliminari queat. Vel, ubi inferior intestinorum pars, quae a morbi sede ad anum pertingit, nondum penitus coarctata est, expertae ac promptae audaciae chirurgus Ramdorium * imitari posset, qui feminae her-

* Vid. HEISTERI Observat. medic. et chirurg. P. II. obs. LXXXIII. pag. CLI.

hernia inguinali laborantis partem intestinorum sphacelo corruptam refecuit, et partem sanam superiorem in inferiorem tubum infertam cum hoc ita filo coniunxit, vt canalis breui tempore coalesceret, atque excrementa naturali stercoris via exirent. Partem hanc intestinorum coalitam, e femina pleuritide mortua exsectam, Celeberrimus HEISTERVS Praesidi ostendit, quae nunc Altorfii seruatur.



OBSERVATIO RARISSIMA

DE

INTESTINORVM SE INTVS SVSCIPIENTIVM
MORBO CONGENITO.

=====

Femina procera corporis statura et formae dignitate conspicua, vxor Viri nominis splendore ac famae celebritate notissimi, die XXIII. Ianuarii anni MDCCCLXIII, octauo grauiditatis suae mense, quum puerulum aliquot annorum brachiis gestaret, atque fallente vestigio in glacie lapsaret; vehementissimo impetu prona in ventrem prosternebatur, et perpeffo grauiissimo ventris concussu de abdominis dolore ac pedum paralyfisi


F

CON-

conquerebatur. Illustris PRAESES in consilium aduocatus et doloribus et ambulandi impotentiae medebatur, praematurumque partum praecauebat: foetus tamen aliquot hebdomades ante tempus a natura destinatum vtero exclusus est die x. Februarii. Puerpera vteri inflammatione moriebatur. Infans autem non solum primis statim diebus, sed per totam quoque vitam lac omnemque cibum et potum vomitione reiiciebat. Verum sterqus nunquam ex aluo excernebatur, sed mucus tantum, in glandulis Peyerianis secretus, parcissime exibat. PRAESES remediis aluum leniter mouentibus, saepius adhibitis, deiectionem efficere, ac intestinorum semet complexim intus suscipientium morbum, quem suspicabatur, depellere studebat. Die xxvii. Februarii infans primum conuulsionibus epilepticis corripiebatur, quae medicamentis antispasmodicis corpore deducebantur. Comitialis morbi accessiones interdum recurrentes iisdem quidem remediis sopiebantur; quia autem earum causa tolli non poterat, die xx. Iunii maior vis morbi redibat, nulli medelae cedens. Infans igitur die i. Iulii corporis vinculis relaxabatur. Pater eius,
Vir

Vir magnitudine animi excellens, a PRAESIDE petiit, vt pueruli mortui ventrem scapello aperiret, in morbi insanabilis causam inquireret, videretque vtrum recte vereque coniecisset. Discissis itaque musculis abdominis et peritoneo, intestina aëre incredibili modo turgentia erumpebant. Remotis intestinis prominentibus PRAESES videbat, quod coniectura ipsum non fefellisset, detegebat enim in superiore intestini ilei parte morbi causam. Intestini huius pars, vna cum mesenterio ipsi annexo in superiorem ad vnus pollicis altitudinem adscenderat, et cum vagina sua coaluerat. Non solum autem pars sursum versus recepta, sed totus etiam intestinorum tubus, a morbi sede ad anum vsque, ita contractata atque corrugata erat, vt in suprema parte nullum, in inferioribus vero minimum tantum cauum relictum esset. Quoniam per tubum in susceptionis loco concretum, nec cibi digesti, nec aër ex iis collectus, descendere et ex aluo excerni potuerant, intestinum ieiunum ileumque, in primis vero pars susceptae parti proxima, nimium dilatata, et vasa lactea, in mesenterio dispersa, chylo ita distenta erant, vt digitis mesenterio admotis succus

albus nutriens in cauum intestini exprimi posset. Id quod PRAESES auditoribus suis monstravit, qui adhuc partem hanc intestini ilei inter alias eiusmodi res rariores in vini spiritu adseruat, quam ad naturalem magnitudinem delineatam et aere excusam tabula adiecta exhibet. Infantis huius rarissimus morbus eo tempore exortus esse videtur, quum mater illius procidisset, et vehementissimo ventris concussu foetus intestina ita commota essent, ut se intus complexim suscipere cogerentur.



ICONIS EXPLICATIO.



- aaa* Pars intestini ilei inferior coalita atque contorta.
- b* locus, vbi pars inferior intestini in superiorem ingressa est.
- ccc* locus, vbi pars superior ilei inferiorem partem ad pollicis altitudinem intus suscepit.
- ddd* superior pars ilei flatibus mirum in modum distenta.
- eee* mesenterii pars.
- fff* vasculorum chyli origo.
- ggg* ramuli venarum lactearum maiores.

